

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Carmen Epithalamion In Sacro Nuptiali**

**Brodhag, Samuel**

**Carols-Ruh, 1731**

[urn:nbn:de:bsz:31-5374](#)

158

CARMEN EPITHALAMION  
IN  
SACRO NUPTIALI  
ILLUSTRISSIMI COMITIS AC DOMINI,  
DOMINI  
CHRISTOPHORI  
HENRICI,  
COMITIS DE REICHENBACH ETC.  
ET  
GENEROSISSIMÆ VIRGINIS  
DOMINÆ,  
JOHANNÆ  
WILHELMINÆ  
MARIE,  
PERILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI EMICONIS JOHANNIS  
LIB. BAR. DE UXKULL,  
SERENISSIMO PRINCIPI BADA - DURLACensi A CON-  
SILIIS STATUS, ET AD COMITIA CIRCULARIA DEPUTATI ORDINA-  
RII, ITEMQUE COLLEGII JUSTITIÆ PRÆSIDIS ETC.  
ET  
GENEROSISSIMÆ MATRONÆ  
DN. ERNESTINÆ, NATÆ LIB. BAR. GOELER  
A RAVENSBOURG,  
FILIAE OMNIBUS VIRTUTUM AC FORMÆ ORNAMENTIS CUMULA-  
TISSIMÆ, EA, PAR EST, REVERENTIA  
DECANTATUM COESTRICII  
*A*  
SAMUELE BRODHAGIO, EMMENDINGENSI,  
THEOL. ET LIB. ART. CULTORE.

---

In Carols-Ruh,  
typis, Andreæ Jacobi Maschenbaueri, Typogr. Aul. 1731.

168



Audia dum celebro, numerus Hymeneia dignis,  
 Christe, fave, dulcis, Numine, quæso, Tuo!  
 Vos quoque Pierii dulces Heliconis alumnae,  
 Este precor faciles ad mea vota Deæ!  
 Sumite plectra manu, quia jam sic postulat usus;  
 Et tegite Ambrosias fronde virente comas!  
 Non hilares voces, jucundaque carmina cesserent,  
 Jubila Pomiferum per nemus omne sonent.  
**I** Si quid in humanis laudemque decusque meretur  
 Rebus, & est dignum si quid honore coli:  
 Quid prohibet socium justis celebrare Camœnus  
 Conjugium, quo nil sanctius esse potest?  
 Qui casto pulchram succensus amore puellam  
 Eligit, ac thalani foedera sacra petit:  
 Divini exequitur recte mandata parentis,  
 Qui vult connubii vincula casta coli.  
 Non etenim humanæ solerti indagine mentis  
 Jura maritalis sacra reperta thori;  
**H** Sed Paradisiacis primus sancivit in hortis,  
 Connubii leges, juraque sancta DEUS.  
 Indidit humanis cœlestes mentibus ignes,  
 Qui veluti vinclis pectora cuncta ligent.  
 Ne, ceu bruta, volent homines, quo cœca libido  
 Dicit, & in venerem quæ sine lege ruunt.  
 Nam mens, caita velut, sic pectora casta requirit,  
 Et castis tædis gaudet adesse DEUS.  
 Ergo pie recteque facis, quod *Conjuge* gaudes,  
 Et pia Connubii vincula SPONSE subis:  
**Z** Quodque Tuum licito submittis peccus amori;  
 Plena libidinibus nec TIBI vita placet.  
 Hæc sed grata DEO sociæ conjunctio vitæ est;  
 Hic cupid unita vivere carne duos.  
 Innumeris illos vitæ quoque dotibus auget,  
 In socium tradunt qui sua colla jugum.  
 Odit, & econtra pænis afflit acerbis,  
 Quos agitat stimulis foeda libido suis.  
 Corpus in exitium cadit irrevocabile cœcum,  
 Quod veneris *vetito* flagrat amore vagæ.  
 Utque levis tenui captatur arundine piscis,  
 Quem nantem *fallax* hamus inescat aquâ:  
 Sic trahit *incautos* veneris *damnoſa* voluptas,  
 Illecebris homines & capit ipsa suis.  
 POST ubi decepit *falsa* dulcedine mentes,  
 Securos animos infidiosa rapit.  
 Cur olim rapidis genus omne periret in undis,  
 Illiciti ardoris cauſa fuere faces.

Post.

Postquam turpis amor *Sodomeam* invaserat urbem;  
 Incola mox longo sulphuris imbre perit.  
 Sicque *Gomorrha* ruit demisso desuper igne:  
 Est sibi judicii conscius iste locus.  
 Nam qua fœcundi sudabant balsama colles,  
 Et viridis pinguem palma tegebat humum:  
 Nunc ibi Tartareus descendit ad æthera fumus,  
 Letifer & falsis halitus exit aquis.  
 Destruit & *Thebas*, atque altæ mœnia Troiæ,  
 Luxuries animi, vitaque prava Virum.  
 Sed quid in exemplis recitandis immoror istis,  
 De quibus innumeris scripta vetusta monent?  
 Cur ita NOS ingens circumstat turba malorum?  
 Cur odiis flagrant omnia regna feris?  
 Scilicet, ut poenas soluat vitiosa libido,  
 Qua duce quis stygiis præcipitatur aquis.  
 Usque adeo nihil est tutum, nil robore tanto  
 Munitum, quod non fœda libido premat!  
 Usque adeo obscenos DEus execratur amores,  
 Templa sacri qui nos flaminis esse cupit!  
 Nam, quoniam patrio ductamus semina cœlo,  
 Nos decet Archetypum mente referre pia.  
 At scelus infandum quos non Proceresque Ducesque  
 Perdidit, aut quos non desidiosus amor?  
 Gratulor ergo TIBI; felices gratulor ignes,  
 Gratulor & thalami gaudia SPONSE novi!  
 SPONSE, TIBI merito tales quoque grator honores,  
 Quod thalamos intrat SPONSA pudica Tuos.  
 Si genus, & formam SPONSÆ spectare placebit,  
 Perpetuum nomen, quo celebretur, habet.  
 Illustres mentis cernas in corpore dotes,  
 Eximiam laudem, cur mereatur, habet.  
 Quæ pietatis amans, morum studiosa bonorum,  
 Ingenii Pallas cui bona summa dedit.  
 Non sermone procax, petulans nec gestibus ullis,  
 Mollia nec soluit turpibus ora jocis.  
 Hinc aliæ dotes plures nascuntur abunde,  
 Quas in virginibus convenit esse bonis.  
 Clara sed cxiſtit non tantum dotibus istis,  
 Nomine sed formæ munera laudis habet.  
 Quapropter videoas, quæ sit præstantia formæ,  
 Purpureus nitido fulget in ore color.  
 Labra roſis poterunt, aurum quoque vincere crines,  
 Picta ligustra genæ, lilia verna manus.  
 Aspicis ut stellis ardentibus æmula certent  
 Lumina, quæ validum robur amoris habent;  
 Brachia Bistonie nive candidiora nitescunt:  
 Præstat at his pietas omnibus una bonis.

Cum

Cum facie mores dedit & natura pudicos,  
Sic facies animo congruit usque suo!  
Quid referam reliquas, quibus est Tua prædita, dotes  
**SPONSA?** quis hic brevibus dicere cuncta potest?  
Si tamen exutias *præclaros* virginis *ortus*,  
In thalamos infert nomina magna Tuos.  
**Eximia pietate** Parens, *virtute* celebris,  
Omni qui merito dignus honore coli.  
**Inter honoratos** qui non pars ultima cives,  
*Consilii* & claros dexteritate viros.  
**Relligionis** amans veræ, studiosus *honesti*,  
*Novit amare DEum, justitiamque sequi.*  
**Mæcenásque** pari studio complectitur omnes,  
Aonio addictos quos videt esse choro.  
**Commodus** est *cunctis*, *cunctis* prodesse laborat;  
Officium nulli denegat ipse suum.  
Quid referam MATREM? celebri dignissima laude est;  
Exemplum poterit *Conjugis* esse *piae*.  
Et morum probitate viget, *virtutibus* aucta,  
Quæ facienda monet, quæ fugienda vetat.  
**Hinc** charam informans natam puerilibus annis  
*Erudiit*, quo sit vita regenda modo.  
**Ingenuus**, monuit, qua sit ratione maritus  
Tractandus, qui sit tota regenda domus.  
**Hinc** igitur SPONSAM celebris commendat *origo*,  
*Corporis* hinc aucta est, *ingeniique* bonts.  
**Quicquid** in ingenua thalami conforte probatur,  
Hoc *matris* monitu filia docta tenet.  
Contigit ad votum dulcis TIBI vita, nec ullis  
Fortunæ fluxis anteferenda bonis.  
**Ergo** SPONSE, TIBI talis quod ducitur UXOR,  
*Exere letitiae plurima signa Tuae.*  
Munere nam tali Dominus, quem diligit, ornat,  
Et datur à summo virgo pudica DEO:  
Et SPONSAM, gaudens, læta complectere mente,  
Auspice quam jungit copula sancta DEO.  
Nam TIBI promissam servarunt fata puellam,  
Ad quorum nutum jungitur omnis amans.  
Illaque nunc TECUM felices exiget annos,  
Formosæ sobolis Te facietque Patrem.  
Solamenque mali duris in casibus Illa,  
Atque erit in quavis forte parata COMES.  
Sic TIBI dulce decus, TIBI gaudia mille parabit,  
Rebus in adversis dulce levamen erit.  
Hæc TIBI sollicitæ depellet tædia vitæ,  
*Vester* ut optata pace fruatur amor.  
Cur igitur cesses? SPONSAM quid amare recusess?  
Quæ bona, queis laudem nupta meretur, habet?

Uxo-

1596

Uxorem nam quisquis amat, se diligit ipsum;  
Et capit a Domini munera larga manu.  
Ergo pium castas imitando SPONSE Tobiam  
Cum consorte thori pectore funde preces:  
*Tu quoque, Virginei decus immortale pudoris,*  
SPONSUM, ceu par est, dilige, NUPTA, Tuum.  
Tu quoque SPONSA bono gaude pulcherrima SPONSO,  
Illiis & charis oscula fige genis!  
Sic amplexa fuit consors Pagasea maritum,  
Fulsit in Andromachæ talis amore fides.  
Talis erat Conjuræ Mausoli, talis Ulyssis,  
Quæ verita est socii fallere jura thori.  
Commandant [fateor] generis TE clara paterni  
Nomina, quod propriis dotibus ipsa refers.  
Sed Tua, quam nunquam poterit delere vetustas,  
Posthac laude viri gloria major erit.  
Namque COMES dulcis, florentibus integer annis,  
Jam petit amplexus, SPONSA decora, Tuos:  
Quem Musæ decorant, & grata modestia morum,  
Cujus digna thoro es, dignus ut ILLE Tuo est.  
Quique subinde suum multis virtutibus auget,  
Morumque exornat nobilitate genus.  
Idcirco & Clarios invisens sedulus hortos,  
Decerpit cupida germina dia manu.  
Unde SIBI peperit non parvæ præmia laudis,  
Virtutum parta est gloria magna SIBI.  
*Hunc speciosa decet veneris SPONSA Maritum,*  
Auctor sic thalami præcipit ipse Deus:  
Namque vir uxorius caput est, uxorque mariti  
Dulce decus, verus si modo junxit amor.  
Sic quoque juncta Tuo sacras pia SPONSA marito,  
Funde preces, castam sic imitare Saram.  
*Ecce quid optato jam lux splendore refulget?*  
Audiet en vestras, qui regit astra, precess.  
Sed mea adoptatum veniat nunc Cymbula portam,  
*Optemus thalamo prospera cuncta pio.*  
Cernimus, ut felix homini nil cedat, & omnis  
Non implorata Numinis erret ope.  
Quis sibi felicem possit promittere lectum,  
CHRISTE Tuus nuptis ni favor addat opem?  
Pronubus ergo veni, thalamique hæc foedera firma,  
Foedera mortali non soluenda manu.  
Effice, quo flagrent coepi vehementius ignes,  
Et novus hic nunquam diminuatur amor!  
Juncta velut charo vixit Rebecca marito,  
Isacides casta cumque Rachele pius:  
Sic pariter læti jucunda pace fruantur,  
Unanimisque regat pectora bina favor.

Una

Una fides SPONSIS, domus una sit', una voluntas,

Una salus, unum pectus & unus amor,

Quem non involvant squalentis nubila luctus,

Nee petat invidiae vulnere livor atrox.

Non lites turbent & amaræ jurgia linguae,

Nec cum flebilibus mixta querela sonis.

Omnia propitio contingent numine VOBIS,

Quæ data conjugibus sunt bona cunque piis!

Sit foecundus amor! gravidis velut uva racemis

Gaudet, & arboreis populus aucta comis!

Sic tener ad mensam jucundo murmure coetus

Grata ferat MATER gaudia! grata PATRI!

Interea pax alma domus custosque penates

Ambiat, ad thalami pervigiletque fores!

Si quid at obtrudet pejor fortuna finistri,

In melius fato dexteriore cadat!

Vivite felices, felici sidere juncti,

Mutuus & nullo tempore cesset amor!

Vive diu casta cum Conjuge! magnus Olympi

Conditor æterna VOS bonitate tegat!

Ferte simul fortæ mala! jungite vota, precesque!

Sic CHRISTUS VESTRAS dirigat ipse vias!

Et tandem exhausto vitæque obitusque labore,

Gaudia cœlesti plena salute ferat!

Sis facilis felixque DEUS, miserere precantum,

Huc ades ad tædas oro precorque sacras.

Respic propitio splendenti es aethere vultu,

Huc ades! huc fausto conditor alme pede!

Ille suæ firmo succensus adhæreat uni

Igne, sit atque oculis charior ipse suis.

Atque ubi per multos fuerit stirps aucta nepotes,

Adveniat sero cana senecta pede!

Ambiat illorum florens concordia leatum,

Qua nihil hæc mox vita tenere potest.

Sis facilis felixque DEUS, miserere precantum,

Huc ades ad tædas oro precorque sacras!

Hæc precor: hæc clemens audit si Numen, ut audit,

Quanta feres voto munera SPONSE meo?

Hæc TIBI SPONSE precor: nunc define musa! relinquunt

Templa: sat hæc teneris sit cœcinisse modis!

